

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

THOMAS HULL,

PATRI SUO,

S.

TIBI, præ cæteris, carissime PATER, *prout exiguum aliquod summi amoris, animique gratissimi pignus, ut hasce primitias studiorum, dicarem, nihil incitamenti, nihil est officii, quo non sum arctè devinctus; Tibi omnia debeo; quicquid in me est ingenii munificè excoluisti; in omni meo literarum, studiique medicinæ, curriculo, non solum animos et vires sustinuisti, sed ut Pater maximè indulgens summo me semper amore adjuvasti, solicitáque curâ fovisti: Hasce dignas fore paginas, quæ tuum patrocinium sibi asserant, precor, spero. Quòd diu vivas, felix, faustusque tuis, exopto, exoroque filius omni officio devinctus.*

NECNON

AFFINI SUO

ROBERTO BUCK, M. D.

De Newark-on-Trent.

OB

MULTA BENEFICIA IN ILLUM COLLATA,

OB

URBANITATEM, QUA SE SEMPER EXCEPIT,

OB

BENIGNITATEM EJUS, MORUMQUE SUAVITATEM,

Haſce studiorum primitias,

Eâ, quâ par est, obſervantiâ,

Grati animi indicium,

D. D. Cque.

AUCTOR.

" ATQUE revera, quemadmodum majorem rerum humanarum notitiam et maturius judicium, ab homine sene expectamus quàm a juvene, propter experientiam, et rerum quas vidit, et audivit, et cogitavit, varietatem et copiam; eodem modo et a nostrâ ætate (si vires suas nosset, et experiri et intendere vellet) majora multo quam a priscis temporibus expectari par est; utpote ætate mundi grandiore, et infinitis experimentis, et obſervationibus aucta et cumulata."

BACON. *De Aug. Scien.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

COMPLECTENS

QUÆDAM
DE PLANTIS, QUÆ VI NARCOTICA MAXIME POLLENT.

T. *HULL*, AUCTORE.

INTER tot funesta tamque diversa infortunia, quibus homines ubique terrarum periclitantur, nulla verè extant, quæ attentionem medicorum magis merentur, et quæ certè exitum funestiorem tam sæpè inducunt, quam ea quæ ex venenorum vegetabilium sumptione oriuntur.

Pauciores quidem, et impolitiores sunt eæ dissertationes, quæ istam thesin complectuntur,

quàm res ipsa, certè postulare spontè videtur ; et quoniam Almæ Academiæ legibus sancitur, ut unusquisque, qui honores medecinæ summos legitimè petit, specimen diligentiæ suæ ostendat, quædam de hoc argumento præscribere voluimus.

Metallica venena quamvis altiùs perscrutinata fuerint, eorum natura æquè ac modus operandi magis investigata, et denique tractandi morbos ab iis inductos methodus certiùs adhibita, quarè tamen rei obscuritas, a naturâ istorum venenorum quæ in stirpibus gaudent, cautè indagandâ, ad minimum impediret ? Venena quæ hujusce præbent exemplum, et de quibus (quamvis operi impares) disserere statuimus, copiâ ac viribus funestis redundant : itaque eorum naturæ et varietatum investigatio summo usui haud esse non potest ; et quoniam a seculis medecinæ antiquissimis, ad nostrum usque tempus, quantum et signa et rationem medendi spectat, res omninò ferè immutata mansit, eò magis perscrutinari meretur.

Qu'il

Qu'il y a encore de mìlliers dès plantes dont nous ignorons les vertus ! mais pour les decouvrir, il faut de l'habiletè, du travail, de la prudence, et un esprit qui ne soit attachè à aucun syſtême. Il ne faut pas regarder comme des vérités certaines, ce qu 'ont dit nos mâitres, et ne croire que ce qu'ils ont dit : on doit cependant être toujours fermement persuadè que l'art et l'action des medicamens ont des bornes *.

Ex fructibus in re medicâ nuper compertis, et ex indagationibus utilibus strenuè exactis, medici nunc magis certò præscribere, et cum spe fortiori successûs, morbos tractare valent : id ut in plerisque aliis, sic in nullâ specie magis, quàm in re chemicâ, ita se habere compertum est ; tamen his etiam inventis, res de quâ nunc agitur, in maximâ obscuritate adhuc obruitur, et valdè dolendum est, ista documenta nondum satis prosperè exculta fuisse : sæpe omnis cura deficit, et opera nostra nil valet.

* Vide Supplement sur l'Uſage de la Cigue p. 391.

Apud omnes ferè, scientia chemica, in curatione morborum utilissima habetur, sed quamvis in istis morbis tractandis quibus *venena metallica* occasionem dederint, magis præcipuè valet, vegetabilibus venenis infelicitèr assumptis, me saltem judice, multo magis desperandum est.

Nemo certè inficias ibit, scientiam Chemicam in plurium curatione morborum multum prodesse, et certè pulchrè loquitur cl. Chaptal, ubi ait, " Il ne faut pas cependant regarder la chimie comme étrangére à l'étude et à la pratique de la medecine : elle seule peut nous apprendre l'art si nècessaire de combiner les remèdes : elle seule peut nous enseigner a lès manier avec prudence et fermeté ; sans son secours, le practicien tremblant ne se livre qu' avec peine a ces remèdes heroïques dont le medecin-chimiste sait tirer un si grand avantage *."

Quæ

* Elemens de Chimie, Discours Prelim. p. 69.

Quæ prefati, sine cunctatione ad propositum nunc properamus: sed ut nostra sententia in clariore luce elucescat, hanc dissertationem in tres partes dividere decrevimus.

Prima ista complectitur venena, quæ sub cœlo nostro nascuntur, et quæ pro themate decrevimus.

Secunda venenorum effectus et modum operandi, præcipue tractat.

Ultima complectitur ista remedia quæ vel morbo medentur, vel occurrunt.

Multiplices sunt stirpes, quæ sub cœlo nostro nascentes, viribus narcoticis, funestis, lethalibus gaudent; de duabus tamen speciebus, scilicet Atropâ Belladonnâ, et Hyosciamo nigro, præcipuè tractare in animo est; nihilominus tamen quoniam operatio eadem propria est omnibus, hæ sequentes etiam huc spectant, sed mentionem facere tantum omnino sufficiet.

Aconitum

(a.) * Aconitum napellus.

(b.) Agaricus muscarius.

(c.) ——.. piperatus.

Othusa

(a.) Antiquissimos venenum prout valde lethale, aconitum habuisse, ab origine nominis fantasticâ, clare videtur, " ut ab hecate inventum, aut ex cerebri spumâ enatum."

Radice in os acceptâ, et præsertim si masticatio fiat, sapor enascitur acris, et versus apicem linguæ insensibilitas torporque mox producuntur; tunc labia, gingevæ, palatum atque fauces calore afficiuntur pungente.

Si succus vulneri admoveatur, systema nervosum protinus dolet; imo etiam (si fides sit habenda) retentio in manibus, vel in pectore longa, signa ingrata haud rarò inducit.

Aconiti radix, quatuor criminalibus jam condemnatis, obiter prout experimentum, fuit devorata, duobus ad Romam anno 1527, et duobus alteris anno 1561 ad Prague; quorum duo cito periêre; alii haud sine magnâ difficultate salutem recuperavêre.—Vide Math. in Diasc. p. 768.—Ray. Hist.—Morœum, p. 41.

(b. c.) In Siberiâ agarici pro intoxicationis instrumento,

* Sic notatæ * haud indigenæ sunt intelligendæ, sed quoniam sub nostro cœlo nascentes sæpissime iuveniuntur, in hoc opus assumptæ.

(d.) Æthusa cynapium.

(d. d.) Actæa spicata.

(e.) Bryonia alba.

Boletus

mento sæpissimè adhibentur: si unus tantum (dum modo sit crudus) vel tres in decoctione, sumantur, intoxicatio per horas duodecim vel quatuordecim vel forsan amplius perstabit.—Hist. Russiæ vol. i.

Ita ut natura lethalis, viresque omnium fungorum venenosæ manifestè elucescant, liceat mihi, hoc loco, Halleri cl. verba citare. " Omnibus fungis cruda natura est, qui ferè intra paucos dies primum adpareant et perficiantur; est etiam in iis ad putredinem propensio, ut plerique celeriter in nigrum, et pestilens, tabum diffluant, et etiam fœtore suo nauseam et cardialgiam excitent. Insectis etiam plurimis, limacibus aliisque, pro cibo sunt proque nido. In universum nostrates solent fungis liberè uti, qui solido et pleno sunt petiolo, abstinere iis, qui sunt cavo. Sed Russi hanc curiositatem spernunt, fungosque devorant, quos nos pro maxime venenatis habemus, ipsum muscarium. Ancipite tamen cibo mallem abstinere, et etiam optimi fungi nocuerunt.

" Aquosi sunt plerique, ut partium solidarum vix sit una octava. Igne subjecto dederunt spiritum flavum, cornu cervi spiritus non dissimilem, oleum flavescens, oleum empyreumatieum, salem volatilem siccum

(*f*.) Boletus bovinus.

(*g*.) Cicuta virosa.

Conium

siccum crystallinum. Naturam agnoscas, ad alkalinam degenerationem pronam.

" In universum difficilius coqui videntur, quod sicci ferè sumantur, fibrasque eorum ventriculus male frangat, et aqua subeuns, ad spongiæ modum, eos cogat turgere; quare adsumptos triduo retentos fuisse exempla sunt, et post triduum demum, nocuisse. Ea adeo ferè mala faciunt, quæ sequuntur ex inflatione ventriculi, anxietates, cardialgiam, vomitus, colicos dolores, strangulationes, singultus, choleram diarrhæam cum tenesmo; et in ventriculo gangrenæ vestigia. Ad hæc mala acrimonia fungorum suas partes contulerit, quæ etiam tactu labra inflammaverit, et sanguinem per lotium et alvum effluere coegerit. Demum est, certe in nonnullis fungis, inebrians principium, quod delirium, tremores, insomnia, syncopen, apoplexiam, sudores frigidos, mala maxima, mortem ipsam faciat, quæ in regionibus calidis frequentius videtur accidere." —Haller. Helv. 2338. vol. iii. p. 153.

(*d*.) Light. Flor Scot. p. 165.

(*d. d*.) With. vol. ii. p. 483.

(*e*.) Inst. Ray. H. 102.—Cæsalp. 206.

(*f*.) Light. Flor. Scot. p. 1040.

(*h*.) Conium maculatum.

(*i*.) * Chelidonium majus.

(*j*.) Chærophyllum sylvestre.

(*g*.) Auctoritate Linnæi, nos fimus certiores, omnia animalia, quæ istam speciem cicutæ comederint, certè et citò perire.

Radices cicutæ vires funestas habere, etiam a Culleno cl. probatur, et non solum homini, sed omnibus ferè brutis (si capri et porci in Norvegiâ degentes excludantur) vim lethalem æquè exercere.

. . . . . Videre licet pinguescere sæpe Cicuta
Barbigeras pecudes, hominique est acre venenum.
LUCULLUS.

Ab experimentis etiam Webferi discimus, succi cicutæ ʒj. in cane convulsiones producere, et ʒij. vitam certè extinguere.

Schwenke, Auctor Germanicus, citat exemplum puerorum quatuor, qui cicutam insciè comedêre, et vitam convulsionibus finivêre.

(*h*.) Light. Flor. Scot. et Woodvil.

(*k*.) * Datura stramonium.

(*l*.) Digitalis purpurea.

(*m*.) * Daphne mezereum.

Hyacinthus

(*i*.) Geof. Mat. Med.

(*j*.) With. vol. ii. p. 308.

(*k*.) Inter experimenta haud pauca Baronis Stork, nulla ferè mentio de hâc stirpe, imo etiam de ullâ virtute in re medicâ omnino tacet; et abhinc, pauca esse beneficia ab eo speranda, inferre ducimur: potentia lethalis ab experimentis Grædingi clarè probatur, et quamvis tam pauca exempla (forte fortuna!) de hominibus ab eo venenatis, nunc extant, nemo tamen, acre esse venenum, inficias ibit.

Nos certiores facit Haygarthus de Chester, vir sagax et medicus haud parum peritus, pueros complures, a stramonii seminibus comestis, quæ fortè in vicos Chestriæ dispersa fuerant, mortem intulisse: "They were seized with blindneſs, and a kind of madness, biting, scratching, shrieking, laughing, and crying, in a frightful manner."

Vires

(*m. m.*) Hyacinthus non-scriptus.

(*m. m. m.*) Helleborus fœtidus.

(*n.*) Lycopodium selago.

Vires stramonii lethales, incolæ orientales minimè ignoravêre, et (si fides auctoribus sit habenda) ab iis ad facinora perficienda nequissima sæpissimè fuit adhibitum.

" Ab Indis, inter alia inebriantia et aromatica, in " electuariam recipitur semen, ad grata phantasmata " cienda, et ut quidam volunt, quò ad scelera patranda " tanto audaciores evadant."—Kempf. Exc. 650.

" Somnum facit adeò profundum, ut impunè pudici- " tia puellæ violari possit, quæ hoc toxicum sumpserit."—Halleri opera.

(*l.*) Funebria duo exempla, quibus digitalis venenum esse haud leve clarè se monstrat, Doctori Hull de Manchester nuper occurêre, et unam, me facit certiorem, ex duabus mulieribus, quæ ad dolores rheumaticos amovendos ex infusione digitalis liberè et plus justo biberat, vitam convulsionibus, signa post solita dira, finivisse.

(*o*.) Lactuca virosa.

(*p*.) Mercurialis perennis.

(*q*.) Œnanthe crocata,

Prunus

(*m. m.*) With. vol. ii. p. 343.

(*m. m. m.*) With. vol. ii. p. 511.

(*n*.) Amænitat. Academ. 261.—Linnæi Physiol.

(*o*.) Veteres conciliandi somni causâ, ultimâ mensâ radicibus vescebantur, mutato ordine, Domitiani tempore, ab illis Promulsidem (entrèe de table des Romains) auspicabantur : ideo quærit poeta Martialis.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes.

Lib. iii. epig. 2.

Webfer. et Tissot. Opera.

(*p*.) Light. Flor. Scot. p. 621.—Woodvil. Med. Bot.

(*q*.) In foliis acquè ac radicibus hoc venenum locum tenet lethale, et stirps tota tam funestos effectus possidet, ut (secundum Lightfoot) Christopher D'Ehret Pictor,

(r.) * Prunus lauro-cerasus.

(s.) Phellandrium aquaticum.

(t.) Papaver somniferum.

PARS

Pictor, haud parvi nominis, botanicus, virtigine, aliisque signis delirio annexis, dum istam delineavit, subito fuit correptus, effluvio etiam tam magnopere abundante, locum relinquere sæpè fuit coactus.—Light. Flor. Scot.——Vide Houst. de hâc re ch. iii. p. 40.

(r.) Aqua ex foliis lauro-cerasi distillata, venenum citiùs se indicat, quam ulla alia cum quibus summus est nobis usus: ob flavoris amænitatem diu in Bellariis fuit commixta; et valde dolendum est, haud omninò adhuc relinqui. Exemplum hujusce generis a Gregor. nostr. Profess. cl. in ejus Prelectionibus citatur, ubi aliquis, ex farti comestione, in quo adfuit liquor parum abfuit quin occideretur.—Audi Prælect. Greg.

Ex quam pluribus experimentis, in canes præcipuè institutis, clare constat, effectus lethales a minimâ quantitate produci.—Vide Phil. Trans. p. 418.-420.

Eodem liquore, si injectio fit, iidem effectus pariter se habent.—Mead on Poisons, p. 97.

Pythiam

PARS PRIMA.

ATROPA Belladonna.

Deadly Night-ſhade.

PENTANDRIA Monogynia.

GEN. CH. Coroll. campanulat. Stamina diſtantia. Bacca globoſa, 2-Locularis.—*Lin. G. Pl.* p. 249.

SPEC. CH. Caule herbaceo, foliis ovatis, integris.—*Sp. Pl.* 260.

SYN. Solanum lethale.—*Parkins et Ray.*

——— somnifer.—*Lobelius.*

LOCIS in Britanniæ diverſis, iſta ſpecies huc ſpectans, fusè ſylveſcit, et præſertim juxta parietes antiquas, perinde tamen aliis parum cultis ac deſertis locis reperitur.

Radix

Pythiam ſacerdotem, dum oracula edidit, ab infuſione lauro-cerasi ebrietate obrui, putatur, et hinc cecinit Poeta, tenore haud aſpernando, imo etiam tenore hic locum bene merente.

Avaunt

Radix sit perennis, crassa, longa, albicans, et in plures ramos divisa ex qua nascuntur *Caules* plurimæ, ramosæ, e subrubro nigricantes, ad quatuor vel quinque pedum altitudinem adorientes. *Folia*, integram formam ovalemque induunt, apice acuto, nonnihil lanuginosam, quæ, tempore autumnali colorem purpureum assumunt. Flores sunt ampli, ex foliorum alis nascentes, campaniformes, longis sustentati pedunculis, quinquefidi, striati, capite declinato, colore fusco externè, interneque purpureo.

Floribus

Avaunt ye vulgar from her sacred groves,
With maniac step the Pythian Laura moves,
Full of the god, her labouring bosom sighs,
Foam in her lips, and fury in her eyes,
Strong writhe her limbs, her wild dishevel'd hair
Starts from her laurel wreathe, and swims in air.
. . . . . .
. . . . . .
She speaks in thunder from her golden throne,
With words unwill'd, and wisdom not her own.

Dar. Bot. Gar. can. iii.

(*s*.) Lin. Syst. Nat. 610.

(*t*.) Haller.—Helv.

Floribus decidentibus, *Germen* in baccam rotundam, fastigio parcè complanato, splendidè nitentem, tandem abit : Color ei primum est viridis, breve tamen post tempus, cum maturuit, ad nigrum effulgentem mutatur.

Ista maturatio plerumque haud ante mensem Septembris advenit, quo tempore arctè fastigium amplectitur, et si fit pressura, succus, sapore suavi, et valde nauseoso, purpureus exprimitur, dum etiam semina plurima, parva et ovata, evadunt. Superficies tota plantæ lanugine obducitur.

Analysi Chymicâ, ex herbæ virentis et jam fructiferæ ℔v. per Vaporarium distillatis, prodierunt *olei spissi*, ad instar syrupi, ʒij. ʒv. gr. x. *liquoris acidi* ℔j. ʒx. gr. LIV. et *salisfixi* ʒj. gr. XLIV.

Ex fructuum, statu maturo, ℔v. eodem modo distillatis, *olei spissi*, alteri visû simillimi ʒiv. gr. xxiij. fuerunt extractæ, prodierunt etiam *liquoris obscure acidi*, uti prior, ℔iii. et *salis fixi*, ʒiij.

His

His collatis, certum igitur et compertum est, fructum Belladonnæ plus *olei crassi* quam herba continere, et majorem acidi quantitatem, minus vero *salis*, quem nuper diximus, *fixi*.

Ab experimentis haud paucis, ducimur inferre, vires narcoticas et lethales in oleo maximè, et (ni fallor) omninò gaudere.

Baccæ, ob colorem præcipuè et suavitatem saporis, haud paucis infantibus mortem intulêre, et heu, proh dolor! quam multi innocentes, ab istâ visûs amænitate, fata veneno precepêre *.

Sauvages (*Nosol.*) Belladonnam fuisse opinatur, quæ apud milites Romanos effectus tam mirabiles et tam lethales produxit, dum se, imperio Antonii, ex Parthis recepêre, nam nos certiores facit: "That they suffered great distress, for want of provisions, and were urged to eat unknown plants; amongst others,

* Vide Bod. Hist. Pl. 586.—Sim. Paul. Quad. Bot.—Dods. An. Reg. for 1780.

they met with an herb that was mortal; he that had eaten of it lost his memory and his senses, and employed himself wholly in turning over all the stones he could find, and vomiting up bile, fell down dead *."

Buchananus mentionem facit, Scotos, bellum gerentes contra Danos, succum Belladonnæ (*solani somniferi* sic ab eo nominati) apud esculentas miscuiſſe; qui tantam ebriositatem Danis adduxit, ut pars maxima exercitûs, somno sepulta, magnâ clade fuit subacta.

> Or have we eaten of the insane root,
> That takes the reason priſoner?

Quot baccarum sint satis, ita ut lethales effectus producere valeant, erit difficile dictu, et forsan multum ex maturitate suâ pendeat; si haud ampliùs quam tres vel quatuor fuerint devoratæ, testimonio Halleri, nihil mali eveniet: "Baccæ, sapore fatuo dulci, possunt absque noxâ edi, si numerus tres quatuorve non excesserit

* Vide Plutarch's Life of Anthony.

serit; plures etiam a Studioso mêdicinæ Coloniensi, nomine Simonis vidi deglutiri *."

HYOSCIAMUS Niger.

Common Henbane.

PENTANDRIA Monogynia.

GEN. CH. Corol. infundib. obtus . Stamina inclinata. Caps. operculat. 2-Locularis.—*Lin. G. Pl.* 247.

SPEC. CH. Foliis amplexicaulibus, sinuatis. Floribus sessilibus.—*Sp. Pl.* 247.

SYN. Hyosciam. vulgaris.—Hyosciam. flavus. ——— Apollinaris.—Dens caballinus. Herba cunicularis.—Faba Jovis. Mania quorumdam. &c.

INTER saxa et partes desertas, hyosciamus etiam incola reperitur; ex odore suo etiamque floribus singularibus facilè dignoscitur.

* Vide Haller. Helv. Stirp. No. 579.

Radix ei perennis, longa, albescens, compacta, fibrisque nimirum obtecta. *Caulis* erectus, ligneus, ramosus, usque ad pedum duorum altitudinem adoriens, et lanugine obsitus densâ. *Folia* colore viridi, ampla, in lobos irregulares disecta, parvulumque undulata, lanugine obtecta, caulem undique amplectentia. *Flores* monopetali, infundibulum referentes, in quinque obtusa segmenta divisi, colore flavescente, reticulati, venis violæ-coloratis pulchrè ornati. *Calyx* in quinque segmenta divisa, lanugine vestita: Filamenta ad culmen adorientia, in corollam inserta, antheris oblongis exornata. *Germen* subrotundum. *Stylus* gracilis, et *Stamina* longitudine superans, cui super fastigium, stigma locum tenet obtusum. *Capsula* ovalis, 2-locularis, plurima semina, colore fusco, continens.

In mense Junii flores, primum se ostendunt. Odor hyosciamo recenti est gravis, et foliis siccatis, eum nicotianæ referens, caput aggravans, somnolentiam inducens. *Folia* actioni

tioni ignis adhibita deflagrant et scintillunt. Ex foliorum et summitatum cum floribus, chymicâ analysi, hyosciami ℔v. per Retortam distillatis, prodierunt *olei spissi*, ad instar extracti ʒj. ʒvii. gr. xxxvi.

Ex seminum hyosciami recentium ℔v. per Retortam distillatis, prodierunt olei spissi instar syrupi, ℔j. ʒv. ʒj. gr. liv.

Ab his experimentis etiam clarè videtur, vires funestas, plus seminibus quàm foliis vel partibus plantæ aliis guadere : " Semina hyosciami (ut a Geoffroy refertur) saporis sunt aliquantisper glutinosi, odoris narcotici et ingrati : oleum continent, tum tenue, tum crassum virosum et valde narcoticum, summæ rarefactionis, aut expansionis capax, cum sale ammoniacali conjunctum *." Hyosciamus inter venena narcotica, locum haud infimum longè occupavit : Casus haud pauci prostant, ubi post parvulam ebrietatem, hyosciamus mortem subitam intulit,

* Vide Geoffroy, Mat. Med. de hac v.

lit, et pro uno exemplo, a Doctore Patouillat accipimus, homines novem, radicibus stirpis istius, per inscientiam, comestis, maniæ signis vehementissimis, fuisse correptos: "Some were speechless, and shewed no other signs of life, than by convulsions, contortions of their limbs, and *risus sardonicus*: all having their eyes starting from their sockets, and their mouths drawn backward on both sides: others had all their symptoms alike; five of them did, however, now and then open their mouths, but it was to utter howlings: the madness of all the patients was so complete, and their agitations so violent, that in order to give one of them the antidote, I was obliged to employ six strong men to hold him, while I poured in the remedy;" sed quod insuper maximè mirabile videtur, "after their recovery, all objects appeared as red as scarlet for two or three days.*"

Cum hyosciamus, per inscientiam, infaustè fuit assumptus, mentem mirum in modum perturbat

* Vide Phil. Trans. vol. xl. p. 446.

turbat, et afficit ridiculis deliriis, sed speciatim, ad jurgia et altercationes disponit : exemplum hujusce generis ex Schultzii observationibus collegimus ; narrat " quatuor Juvenes studiosos simul cum coquâ commestis hyosciami et pastinacæ radicibus, simul per errorem cum carne bubulâ elixatis, magnam mentis perturbationem et alienationes passos fuisse, et quasi furore percitos, primum jurgiis, dein verberibus, se excepisse, et nisi vi abacti fuissent, forsan ad internecionem perventum fuisse, cum miris gesticulationibus, et phantasiis *.

PARS

* Vide Simon. Schul. Obs. cxxiv.

PARS SECUNDA.

QUÆDAM DE VENENORUM ACTIONE COMPRIMENS, SIGNISQUE AB IIS ORIENTIBUS.

DE ista parte priusquam tractare aggrediamur, observandum est, alia venena *(ex Regno Vegetabili)*, majoris, alia esse minoris momenti; alia tam magni, ut ob vim æquè ac genus actionis, singularem locum sibi vindicarent, alia denique tam exigui ut absque copiâ abundante, vix pro morbi causâ haberi possint.

Quoniam tam sensûs, quam motûs potentia ad statum cerebri præcipue pertinet, sic omnibus ferè visum est, ea venena, de quibus hic agitur, primariam in id actionem producere; sed sufficiet notatum, quòd, quoniam a narcoticis, motus et motuum potentiæ, præsertim in partibus, quibus immediatè admoventur, et etiam in partibus procul a cerebro distantibus, sanè comminuuntur, sic ita nobis putandum est,

est, omnia ista jam relata, absque dubio in materiem agere, quæ, naturâ haud dissimili, totum systema nervosum pervadit. Per nervorum intermedium hæ noxæ ad cerebrum attingunt, ubi plerumque vitæ originem omnino depellunt; sed quomodo hoc efficiatur, non tam facile explicatu: sed si spectetur quam magis elucidatæ, leges systematis nervosæ, a medicorum operâ et ingenio, nuper factæ sunt, vix fieri potest quin fateatur, nostram notitiam de hâc re palam augere, et fortasse secundum Senecæ sententiam, "Veniet tempus cum ista quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, et longioris ævi diligentia; veniet tempus, cum nostri posteri, tam aperta nos nesciisse, mirentur. Erit qui aliquando demonstret."

Ut res in clariore luce illuminet, nos putare cum Culleno liceat, "That there is a subtile elastic fluid inherent in the medullary system of the brain and nerves, upon the motion of which, all sense and vital powers depend, and by which, therefore, motions are communica-

ted from any one part, to every other of the nervous system *."

Desunt certè argumenta, quæ ullum fluidum a cerebro secerni coarguant, et nervorum natura inter physiologos haud satis innotuit: sunt qui, materiem vehi copiosè per nervos, et pro nutritione corporis servire, crediderunt: argumenta tamen ab iis inducta aliquantulum probabilia viderent, nam "neque cerebrum atque nervi reliquum ante corpus, neque una ante partem aliam, formari videntur, simul autem gignuntur, simulque evolvuntur omnes †."

Calamo suspenso, diu in dubio remansi, an de nervis speciatim dissererem, an silentio penitus prætermitterem, sed quatenus ad hanc rem pertinet, sat certè jam jam fuit tractata.

Tantum observandum est (quod sæpissimè

a

* Vide Cul. Mat. Med.

† Vide Observ. Leb. Prælect. Anat. p. 14.

a frequentibus fuit negatum) nervorum regenerationem, ita ut post divisionem sensatio restituatur, minimè esse possibilem.

Testatus est cl. Monro Ranæ nervum ischiaticum post divisionem coaluisse ; et ab experimentis Abbè Fontanæ, haud amplius in dubio remanet, nam post Paris octavi nervorum divisionem, adunatio haud tempore longo perfecta fuit, et sensatio satis restituta. " Les nerfs (ait ille) s' etoient reunis dans ce cas là, et continuoient d'etre instrumens du mouvement et du sentiment."

Sed quid de his sequentibus ab eodem auctore sit dicendum ? " Car l'irritation d'un nerf, entierement separè de la moëlle de l'epine ou du cerveau, produit les mêmes contractions dans le muscle, que celle d'un nerf, dont la continuitè avec ces parties est conservèe*."

His ergo concessis, venena narcotica intus assumpta,

* Memoirs sur la Nature Irritable, tom i. p. 237.

assumpta, sic in corpus humanum agere putandum est.

Venena, hujusce generis, in ventriculum haud citiùs recepta, quàm ob numerum et sensibilitatem nervorum, super eos primariam actionem exercent; ex sympathiâ vel eorum connectione cum cerebro, totum systema nervosum in motus abnormes impellitur: mobilitas, subito concussu, aliisque effectibus cerebro simul admotis, valdè imminuitur, et haud parvo gradu, omnino languescit.

Ventriculus, anatomicè exploratus, nervis maximâ sensibilitate tam copiosè instruitur, ut operationi venenorum, se diffusè extendere liceat. Quid multa? si applicatio ad aliquam ferè partem ventriculi fit, sensorium commune vel nervorum origo, plus minusve affectionem participat.

Quâ mobilitate sic imminutâ systematis nervosi, cordis et arteriarum actio diminuitur: si venenum sit mite, vel quantitas jam assumpta,

ta, parum copiosa, affectio musculorum, paralyseos seminium, brevi tempore consequitur; sed si contrà venenum sit valdè lethale, mors, paralyse nunquam accedente, cito inducitur.

Ex istis jam memoratis tam manifestè liquet, omnem functionem, a systemate nervoso pendentem, narcoticorum operatione, semper ferè affici: hoc etiam, apud omnes auctores, et antiquos et recentiores, convenit, a vi sedante præsertim si non omnino, pendere.

Venenum vegetabile, quatenus corporis calorem, cerebri vel nervorum energiam minuit, est sedans, sed multum a viribus veneni, vel a corporis, cui adhibeatur, conditione differt: principio igitur observandum est, quòd, tametsi eorum actio primaria sit sedans, is effectus vi stimulante haud raro præstatur, et tam longe abest ut cordis actio et arteriarum diminuatur, ut evidenter ab iis ea promovetur. Vis stimulans in omnibus ferè, facilè percipitur; si linguæ applicentur, acria sapiunt; ci cuti [admoveantur

moveantur, inflammatio inducitur : et certè in variis modis diversa venena istam vim possident ; in opio præsertim se ostendit ; in Hyosciamo, Belladonnâ, &c. minore gradu.

Quomodo fit ut vis sedans sæpissimè vim stimulantem præcedat, exponere non aggrediar : An cerebri actionem excitando, vis nerveæ influxum augent ?

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Et quamvis philosophi, causarum et effectuum catenam accurate indagare, menti meritò pergratum sit ; tamen si nexum remotiorem benè observemus, sæpè sufficit, et sic donec nebula a futuris documentis amoveatur, in obscuritate nos abire oportet.

Cullenus cl. haud parvâ auctoritate, putat, vim stimulantem a reluctantiâ, et activitate systematis consequente, quam œconomia animalis, ad noxas depellendas, efficere libet, pendere ;

dere; huic potentiæ *vis medicatricis naturæ* nomen imponitur *.

Omnia narcotica, de quibus tractare voluimus, eosdem effectus, licet in gradibus diversis, edere videntur: materies lethalis in omnibus, me saltem judice, pariter se habet.

Ex jam dictis, quid, meo judicio, venenorum actio et effectus vegetabilium sit, facile erit colligere, et nunc sine cunctatione, signa quæ occurrunt enumerare nos accingamus. Ea, tam accurate et tam elegantissimè, a Professore Gregor. cl. enumerantur, ut, venià concessâ, ejus verba citare ferat animus.

"Si modicâ quantitate sumpta fuerint, hi ferè sunt (effectus). Placida quædam animi, pariter et corporis quies atque tranquillitas, hebetudo aliqua omnium sensuum tum externorum, cum internorum, stupor demum et sopor naturali somno simillimus: pulsus simul arteriarum plerumque

* Vide Cul. Mat. Med. vol. ii. p. 220.

rumque tardiores et pleniores fiunt, et spiritus lentior et calor minor, et alvus astricta, et ventriculus infirmior, et cibi appetitus parvus, aliquando non sine nauseâ, et omnes ferè secretiones et excretiones multum imminutæ, præter sudorem, qui (soluta cutis compage, partim per consensum ejus cum ventriculo, partim per tranquilitatem, et quietum somnum, quem opium solet conciliare) nonnihil augeri videtur : unde alvus tardior, et reliquæ secretiones minutæ. Interdum vero etiam in sanis, vel leviter ægrotantibus, sed frequentiùs multo in iis, qui magno dolore, aut gravi febre laborant, præsertim si nimis parva quantitas opii devorata fuerit, pro quieto somno dira fit quies cum horrificis somniis, vel fortasse delirium haud leve, citra ullum soporem. Hi quidem effectus a modicâ aut parvâ quantitate observantur ; a majore autem vel nimiâ, ingens sæpè oritur nausea et tandem vomitus, et nisi hoc modo medicamentum ejicitur, brevi altus somnus, ferè inexcitabilis, et in convulsiones et mortem citò desiturus *.

Antiquam

* Vide Greg. Cons. Med. vol. ii. p. 207.

Antequam ulterius progrediamur, observare nos oportet, ista omnia quæ citavimus, ad opii effectus præcipuè referre; alia narcotica tamen, scilicet omnia quæ suprà diximus, in eâdem modicâ quantitate eosdem ferè effectus producere, licèt tamen, sicut anteà observavimus, magnitudine æquè ac naturâ virium, haud parum discrepent *.

Ποικίλα μὲν γὰρ τὰ δηλητήρια φάρμακα, Κοιναὶ δὲ ἁ πολλαὶ αἱ ἔξ αὐτῶν γινόμεναι διαθέσεις †.

Idem (ad rem persequendam) auctor verbis sequentibus procedit, " Alii autem ab aliis remediis verè narcoticis, veluti Hyosciamo, Cicutâ, Solano,

E

* In quibus aliquæ venena vegetabilia maximè vel forsàn solummodo ab opio discrepant, me saltem judice, observandum est, opium alvum reddere astrictam, et sic molestiam per totum corpus inducere majorem, semper solere; dum contra, stirpes aliquæ, quæ viribus narcoticis gaudent, utcunque sedantes sint, certè intestina haud parvo gradu stimulant et sic alvum efficaciter solvunt: hæ tamen vires *acerimas* æquè ac *narcoticas* possident, quæ omnibus minimè attinent.

† Diascorid. Alexiph p. 399.

Solano, sæpè oriuntur effectus; magna imprimis vertigo et dolor et gravitas capitis et oculorum et sensus interdum angustiæ in gutture."

Si in adhuc majore quantitate devorata fuerint, signa terrifica mox superveniunt quæ sopore et sæpissimè in palarysi, terminant, ægroto subito animam efflante.

> Eheu!
> Mens horret, hæret vox in ipsis faucibus,
> Nec ora verbis pervium præbent iter;
> Nocturna sic me visa miserum territant,
> Et dira turbant inquietum insomnia*.

Æger, sæpissimè, vertigine, faucium siccitate et anxietate mentis corripitur; voce tandem cessante, sensus redditur hebes; pulsus parvus et celer; frigus extremorum, artuum paralysis; forma oris distorta et denique convulsiones occurrunt: Hæ convulsiones tamen minus spatii habent, et tandem cessant; languescit pulsus, deficit respiratio, accedunt sudores frigidi, et postremo mors, agens triumphum viribus naturæ, haud inimica ægroto, finem imponit.

lis,

* Buch. Poem.

Iis, tandem quæ in hâc parte voluimus complecti, ad finem perductis, nunc ad tertiam, summi momenti, nempe curationem, pervenitur.

Sed quoniam de hâc re in tenebris omnino palpamus, summi BACONIS verba in mentem revocare juvat, " Verus experientiæ ordo primò lumen accendit, deinde per lumen iter demonstrat, incipiendo ab experientiâ ordinatâ, et digestâ, et minimè præposterâ aut erraticâ, atque ex eâ educendo axiomata, atque ex axiomatibus constitutis rursus experimenta nova, quum nec verbum divinum in rerum massam absque ordine operatum sit."

Itaque desinant homines mirari, si spatium scientiarum non confectum sit, cum a via omnino aberraverint; relicta prorsus et deserta experientia, aut in ipsa (tanquam in labyrintho) se intricando, et circumcursando; cum rite institutus ordo per experientiæ sylvas ad aperta axiomatum, tramite constanti ducat."

PARS TERTIA.

ISTA REMEDIA COMPRIMENS, QUÆ VEL OCCURRUNT, VEL MORBUM MEDENTUR.

EX venenis *mineralibus*, ægrotum saltem nonnunquam ad sanitatem reductum iri sperare liceat; cum autem signa terrifica a vegetabilibus occurrunt exiguum sepulchri faucibus numerum eripi consuesse, experientia nimis manifeste testatur: res tamen non omnino desperanda est, nam in pluribus casibus, multum præstare fortuna, multum diligentia potest.

Venena ex *regno minerali*, minus funesta certè se monstrant, quoniam sæpissimè in ventriculo decompositio fiat; et hinc manifestè liquet, effectus magis prosperè cohiberi: Vegetabilia tamen venena prævertere adhuc haud didicimus; omnia nostra remedia plerumque haud prosunt, et spes ab eorum auxiliis subito evanescit.

In

In curatione morbi, Ovidii consilium exaudire diligentissimè oportet.

" Opprime dum nova sunt, subiti mala semina morbi."

Quantum ad hoc indicatum spectat, apud omnes medicos convenit, venena quam primum e ventriculo expellere, sine dubio ad morbum præcavendum, esse maximè efficax; et hoc consilium implere, *Emetica* certe locum primarium tenent.

" L'on doit faire avaler sur le champ beaucoup d'eau tiède, legèrement salèe ou sucrèe, aussi promtement qu'il est possible *."

Emetica si, primo stadio adhiberi possint, ad vomitum ciendum, nunquam omitti debent; venenis tamen in ventriculo longè moratis, ei insensibilitas tam eximia redditur, ut ne quidem emetica validiora vomitum ciere valeant; hæc

* Tissot Avis au Peuple, vol. ii.

hæc remedia tamen, si in tempore admota, super omnia certe eminere constat: sed, quoniam insignis inter homines varios differentia exstat, hoc tempus, nunquam pro certo, sit præscribendum.

" Quand après avoir pris de la Cigue, il arrive quelques vertiges, obscurcissement dans la vue, difficultè de respirer par oppression ou resserrement de la poitrine, hoquet, nausèe, vomissement, douleur d'estomac, salivation, foibleſſe, tremblement, mouvemens convulsifs; il faut pour arrêter ces accidens et en ôter la cause, employer quelque uns, des remedes suivans; les vomitifs et les purgatifs, si la plante a ètè prise en grande quantitè et recèmment, les lavements simples, calmans ou purgatifs *," &c.

Emetica imprimis ventriculum efficaciter de venenis exinanire, (si in substantiâ recepta fuerint), sunt utilia: ventriculi et intestinorum secretionem

* Vide De M. Ant. Stork de la Cigue (a Vienne), p. 6.

secretionem quoque promovent, et denique, quod momenti, me judice, maximi videtur, subito concussu, aliisque effectibus simul catenatis, totum genus nervosum præcipuè excitant, et hinc stimulo tam egregio, sanguinis circuitum per totum corpus augent, congestiones tollunt, et distributionem sanguinis æquabiliorem reddunt.

In omnibus casibus, sive ex venenis in substantiâ, sive in statu infusionis, sive alioquin assumptis, ubi emetica pro curatione fuerint adhibita, mihi elarè videtur, novam actionem, subito hoc concussu et excitatione abnormi, systemati nervoso reddi; quæ, utpote potentior, istam a venenis imprimis admotam, aliquatenùs superet.

Varia sunt medicamenta, hujusce generis, quæ vomitum ciere et expellere venena, aptè adhibeantur; sed quoniam lenissima haud prodesse, (et præsertim in primo stadio, quo medicus rarò accersitur) experientia docet, validiora

lidiora tantum et vehementissima a nobis sunt admovenda, *e. g. vitriolum album (a zinco præparatum)*, *ærugo æris*, *turpethum minerale*, *antimon. tartarisatum*, &c. Hæc propter subitam validamque actionem medicamenta maximè idonea præbent: *Zincum vitriolat.* sanè a Gregor. Professore dictum (dummodò corpus sit sanum) "quasi puncto temporis, plenissimam vomitionem cieat." In casibus tamen, de quibus nunc agitur, actio tam subita minimè evenit, imo etiam in casu * Dom. K——, Liverpoliensis, dosis procul modica, scilicet, ℈ij. haud responderet.

Inter emetica validiora etiam, aqua ex *ranunculo flammulâ* distillata, (testante Doctore Withering, notitiâ in re botanicâ, haud magis, quam in re medicâ perito), locum haud aspernandum, postulat, vindicat, tenet: forsan quidem plantis quæ narcoticâ vi pollent, incautè assumptis, etiam ante *zincum vitriolatum*, periculum meretur. Laude eam efferens, sic dicit

* Vide Houst. ch. iii. p. 40.

dicit auctor, " From the experience I have had of it, I feel myself authorised to assert, that in the case of *poison* being swallowed, or other circumstances occurring, in which it is desirable to make a patient vomit instantaneously, it is preferable to any other medicine yet known ; and does not excite those painful contractions in the upper part of the stomach, which the white vitriol sometimes does, thereby defeating the intentions for which it was given *."

Quid multa, quantitas emeticorum, prout res se habeant, cautè sit administranda, et quoniam nunc parva, nunc immodica quantitas erit necesse administrari, sedulitas æquè ac peritia medici, semper pro duce, servire debeat.

Emeticorum administratione præmissâ, CATHARTICIS posteà alvus est solicitanda, et ea etiam esse asperiora, (nisi res contra indicarent), vel si leniora in majori copiâ quam solent, præberi oportet ;

* With. Bot. vol. ii. p. 504.

oportet; priora tamen, ob multas rationes, maximè prosunt.

Imprimis intestina subito et efficaciter exinaniunt, et hinc, si insensibilitas nondum supervenerit, venena, remorâ haud datâ, perfectè ejiciuntur; hæc tamen haud est ratio sola, nam per stimulum intestinis admotum, circuitum æquibiliorem præterea reddunt, et quoniam aorta descendens in actionem validiorem citatur, sanguinis derivationem a capite efficiunt, et demum secretiones promovent, etiamque augent.

Sin autem materies, morbum efficiens, diu latuit intestinis, hæc remedia agere nequeunt spes nostra subito deficit, et mors inexpectata mox terminat scenam.

Sed verbis quid opus est? nam si purgatio alvi ullo modo sit efficienda, id quamprimum est agendum, et quanta sedulitas in eorum administratione opus sit, medicus facile judicet; et tantum hic observatu dignum est, quòd, per

consensum

consensum manifestum æquè ac mirabilem, inter intestina partesque corporis alias, totum systema nervosum, prout de emeticis super tractatum, effectus participat.

Magna est varietas, quæ ad consilium hoc implendum, remediorum prosperè administrentur, et ea, prout res postulent, magnoperè differant: si venena haud diu fuerint excepta, cathartica mitiora fortasse respondeant, quòd si contrà, longo pro tempore, in ventriculo et intestinis remanserint, ad validiora nos confugere oportebit: sed fortasse leniora validioribus locum semper cedere, præstat.

Remedia, hujusce generis, quæ magis subitò suo funguntur officio sunt, *Guaicum*, *Jalappa*, *Scammonium*, *Gambogia* etiamque alia, quæ vix opus est recensere.

Æger si robore et viribus vigeat, et si inflammatio cum pyrexiæ signis clarè adsit; si

pulsus haud parvi, nec ordinis expertes, sed contrà pleni et validi sint, in tali casu haud dubium est, quin missio sanguinis sit imprimis necessaria.

Plerumque vel saltem sæpissimè, ubi venenum in modicâ quantitate fuerit acceptum, ad apoplexiam cernitur proclivitas; et si sanguinis capiti determinatio distinctè appareat, venesectio quamprimum est facienda: de hâc re tamen posteà magis fusè deserere statuimus.

Præter hæc jam relata, alia sunt remedia quæ nos observare oportet, et inter quæ, haud malâ auctoritate, locum præcipuum tenent, *Acetum* et *Liquores Acidulatæ*.

Quamvis actionem exponere difficile et forsàn dictu impossibile sit, ea remedia tamen multum prodesse, nemo (si auctoritas virorum, haud parvi nominis, sit habenda) ibit inficias.

Audi Geoffroy de hâc re, "Medicus, qui hujus

hujus morbi (nempe ex Belladonnæ assumptione orientis) causam subolfecerat, aceti cyatho propinato, a dementiâ, quam Belladonna causaverat, aliquem liberavit: Acetum enim aut succus limonum pro hujus veneni antidote habentur *."

Wilmer in ejus dissertatione de hâc re, nos facit certiores, omnibus signis, quæ venenorum vegetabilium assumptione procedunt, Emeticis, potentibus Catharticis, Enematibus, Liquoribusque Acidulatis liberaliter acceptis, "*such as sparkling Perry*," posse obviam ire: et ad paralysin obviendam, quæ sæpissimè restet, sinapismi, vesicatoria, atque electricitas, modo solito, admota maximè prosint †.

Tissot etiam, acetum, solitas post evacuationes, copiâ abundante quam primum acceptum, ponit, maximè valere, et exemplum adducit, ubi, " Trente-sept Soldats ayant mangè pour des

* Vide Mat. Med. vol. iii. p. 164.

† Vide Wilmer de Venenis.

des carottes, de la racine d'Œnanthe ou Cigüe filipendule, ils furent tous très malades, et l'Emetique N° 34. (six grains de Tartre Emetique, a Paris, 4 gr.) joint aux lavemens, et à la quantité de boisson, les sauva tous, excepté un seul qui perit avant qu' on eut pû le secourir *."

Hoffman, laudibus summis acida effert, et raro spem suam fefellisse, haud negat: Ante alia remedia, vomitum quamprimum adhibere, et per cursum diei aceti vel succi limonis ℔j. aquæ parte æquali commixtâ, sumere suadet; etiamque simul, si alia haud prohibent, ægrum, eò ut somnus qui fortasse si superveniat, lethalis fiat, cautè amoveatur, circumambulare monet.

Lightfoot, usum aceti, utpote remedium erroris expers, præcipuè admonet, " a large glass (inquit ille) of warm vinegar, taken as soon as possible

* Tissot Avis au Peuple, vol. ii. p. 427.

† Vide Light. Flor. Scot. vol. ii. p. 144.

possible, after taking the berries, (of the Belladonna), will prevent their bad effects †."

Sales Volatiles, sive naribus admoti, sive intus assumptæ, multis ab auctoribus maximè laudantur, et hi, sopore alto jam inducto, fortassè multum prosunt, quoniam a stimulo, systemati nervoso, ab iis admoto mentem æquè ac corpus excitant: eodem proposito *Vesicatoria* sæpissimè admoventur.

D. Hans Sloane, pro certo ponit, quatuor pueros, quibus, seminibus hyosciami liberè comestis, sitis urgens, oculorum acies hebeta, deliria et denique somnus profundus per dies noctesque duos perstans, occurrêre, ab iis perfectè fuisse curatos.

Exemplum etiam, et fortasse sine pari, a Meadio refertur, " We gave to a small dog, (ait ille), about an ounce of strong laurel-water, he fell immediately into most violent convulsions

sions, which were soon followed by a total loss of his limbs: when he seemed to be expiring, we held to his nostrils a phial of good *spirit of sal-ammoniac*, and forced a small quantity of it down his throat; he instantly felt its virtues, and by continuing the use of it for some time, by degrees recovered the motion of his legs, and in about two hours walked about with tolerable strength, and was afterwards perfectly well *."

Ea sunt remedia ad quæ præcipuè nos oportet confugere; alia tamen aliquando, prout res postulent, administrare sit opus.

Si quantitas venenorum ad mortem subitam inducendam, haud sufficiat, vel si eorum vires non satis sint potentes, apoplexia signis omnibus frequentissimè occurrit: In tali casu omnia remedia, quæ in apoplexia inveniuntur utilia, sine morâ sunt adhibenda; aliquando etiam

* Vide Mead. Op. Med. p. 98.

etiam quamvis respirationis vel sanguinis circuitûs cessatio, mortem haud procul abesse, indicaret, (dummodo hæc parum diu remanserit) res non omnino desperanda est.

Si vomitus immediatè post veneni assumptionem, acciderit, quam maximè est instigandus, et si spontè non acciderit, talia, quæ evomitionem cient, remedia sunt statim applicanda.

Si apoplexia clarè se demonstret, nunquam non periculosissima haberi debet, nam quamvis medicamentis interdum vincitur, sæpius tamen mortem infert; nunc adest tempus cum medici peritia haud ampliùs lateat; nunc auxiliis validissimis untendum est; in tali casu, si signa plenitudinis et plethoræ manifestè adsint, sanguinis detractio ex venâ jugulari vel aliâ quâvis, ita ut sanguinis momentum, diminuatur, amoveatur congestio et circuitus per systema æquabilior reddatur: eodem

consilio ad accumulationem ex vasis cerebri amovendam, Enemata, præsertim acria multum prosint.

Cullenus cl. aquam super corporis partes diversas, aspersam, vel, corpore per totum lavato, valde efficacem, inveniebat.

Dissertationi nostræ finem impositurо, observare liceat, ut, quoniam ita multiplicia etiamque lethalia, e *Regno Vegetabili, venena*, nostræ insulæ sunt propria, quam magnoperè ea perscrutinari etiamque cognoscere naturam oportet.

Multum adhuc deesse, ut nostra in re medicà scientia vel peritia sit vel accurata vel perfecta, nimis perspicuè constat: studiorum in Academiâ, nostra expletio, tantum est initium sapientiæ in re medicâ et perfectio rerum in experientiâ et cognitione practicâ, solummodo gaudet.

Quid